S. P. D. Incendisti me igniculis litterarum tuarum, quos spargunt pulcerrimæ mentis, Jungermanne præstantissime. Et vero quid exclamem, nisi illud Plinianum: O diem lætum, notandumque mihi candidissimo calculo, quo tali amico auctus! Vidi te totum vidi in litteris tuis, ~~m~~ licet nihil de te fama dixisset, quæ utinam de me non te falleret! Sed facile patior a te ac tui similibus ejusmodi errorem errari, qui mihi tales, ~~ut~~ supra vulgum, animas conciliet. Cæterum quid sum, aut quid hactenus esse potui, Fortunæ, ut sic dicam, pila: Equidem, si litteras adhuc scio, magnum facio, tot annorum a Musis exsilio. Tu, ut spero, felicior. Quamvis forte nusquam desint, qui indolem ad altiora assurgentium oppressum eant. O Alastores a quibus ~~st~~ si antehac cavissem, jam non tantum temporis in hoc ætatis vere misere perditum morerem. Sed valeant præterita. Ego spe et voto hic plerorumque ad Professionem Historiarum vocor: interposuit se etiam meus Princeps, Illustriss. March. Brandeb.: Joachimus Ernestus: ipsi Scholarchæ bene pollicentur. Pleriquo, ut dixi, favent: nonnemo tamen est, qui semper, id est, ἐλπίσι, κενὸν ὕδεις. Sed is minus nocebit spero, quia jam magis notus. Vides quam de me aperte ad te apertum, ut mihi privati et candidum. Ignosce et his meis versiculis lævo Apolline inter curas natis in Longum Sophistam a te versum et notis illustratum:

JUNGERMANNE, sititor Hippocrenes,
Lux Pindi nova, corculumque Phoebi,
Qui jam Graja perambulans vireta,
Jam lætos Latii volans per hortos,
Ignotam teris orbitam popello;
Quà prævandi iter tibi nepoti
Magni prævia CAMERARII lux:
Qua Phoebus tibi? qua chorusque Phoebi
Reddent præmia pro labore tali?
Ver nobis Charitum mere Atticarum
Qui nunc Ausonio facis nitere:
Et Musas Veneremque transmarinam
Formosas agitare ibi choreas

Fallor: nectare ut ebriis merum mel
Sugit floribus insidens melissa:
Sic tu floribus immorans Pelasgis,
Hanc Longi ambrosiam putem Sophistae
Musas nectare dulcius Latino.

Quod ad quaestionem tuam attinet; puto esse ita distinguendum: τὸ κύκλωθεν ἐχόμενον τοῦ θεάτρου λίθος Χῖος, ὁ ἐκ Λακαίνης καὶ Θετταλὸς ἑτέρωθεν &c. Nulla enim Laconica, quod sciam, in Chio: at in Laconica λατομίαι λίθου πολυτελοῦς, tam hercle, quam in Chio, teste Strabone lib. 8. Quod alter locus in Achille Tatio turbat; mihi quoque ille ἐκ Λακαίνης οἶνος (quod de Corinthio dixi) βασανιστέος ἐστι. Qui enim me cruciavit, cum nusquam reperirem Laconicam tamen vini generum vel illud argumento est, quod et Lycurgus in vites saeviit Athenaeus item, qui tam diligenter vinorum genera et patriam persequitur; nusquam, quod quidem meminerim, Laconici mentionem facit: neque hercules adhuc eo indipiscor, si uspiam alibi legerim. Vix est dubium, quin ita sit legendum: ὁ Χῖος, ὁ οὐ τὸν ἐκ Λακαίνης &c. Facile quod οὐ potuit a librario omitti ob ου praecedentis dictionis: quod mihi D. Rittershusius suggessit: ac sibi certe plurima talia vel in uno Isidoro. B. V. eruditissime Jungermanne, et me, quod facis, ama, qui te ex animo. Altorphi. Nonis Decemb. CIƆ IƆCIIII.

Quaeso excuses me T. oi officio et fide apud V. Cl. Dn. Janum Gruterum, cui plurimum debeo, quod in praesentiarum non scripserim. Erat omnino animus; sed importune interturbor. Proximis igitur moram illam litterarum prolixitate compensabo. Interim illum officiose a me salutes rogo.

Michael Virdungus.

Erudiliſſimo et præſtantiſſ.
Dn. Gothofredo
Jungermanno
Philologo eximio
Dn̄o et amico pl. colendo